



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

P. 22. Regulæ pro Opinionis delectu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

40 *Pars 3. tract. 1. Principia practica.*
tros: quod si altera pars judicio stare nolit,
propter hanc injuriam invadi potest.

P. XXII. *Regula pro Opinionis delectu.*

Pro notitia & delectu opinionis verè probabilis, ut securius procedatur, magni momenti erunt Regulæ sequentes.

I. Si duo tresve Scriptores sive antiquiores, sive recentiores sententiam doceant, quam alij passim censem improbabilem, non debet illa probabilis aestimari.

II. Etsi reperiatur author unus, alterve, aut plures aliquid obiter asserere, quasi per transennam, sine ullo istius materiæ examine, per hoc non redditur sententia illa probabilis, præsertim si alius, qui eam materiam ex professo tractavit, contrarium doceat.

Item, Quando Author aliquis cognoscitur solitus affectare opiniones novas, singulares, aut laxiores, si in eo reperias sententiam quæ primâ fronte apparet paradoxa, sive à communi sensu plurimum discrepare, et si alios pro ea citet, non rectè eam sententiam judicas probabilem, nisi eam ulterius apud alios, non similes, examines. Prudenter enim suspicari potes talem Authorem pro suo genio magis novitati, quam veritati studuisse.

Idem dicendum, quando pro sententia aliqua duos tresve Authores citatos reperis apud aliquem Scriptorem, qui deprehenditur sœpe in citando parum esse fidelis: ideoque consulendi sunt alij ut formetur judicium prudens de probabilitate istius opinionis.

III. Quando author doctus & probus, non tantum ut veram docet, sed reflexè & in termi-

nis

nis affirmat , sententiam aliquam omnibus consideratis esse probabilem , aliis id præcisè non negantibus , meritò credis certitudine morali , & humanâ illam esse talem ; eumque ea de re Doctorum judicia mature examinasse ; eoq[ue] magis si ipse sententiam contrariam doceat ; tunc enim vel maximè apparet, illum ex privato erga suam doctrinam affectu non judicare.

IV. Quando author, qui solet esse in citando & examinando valdè accuratus , adducit quatuor vel quinq[ue] probatos, aut magni nominis authores pro alibua sententia, prudenter judicas illam esse probabilem. Meritò enim & illius fidelitati in citando, & horum judicio in afferendo fidem adhibere potes, cùm supponantur esse graves, & probati authores. Quod alij etiam de paucioribus admittunt. An , & quando possit unicus Author sufficere, dicam infra de prob. op. §.4.

V. Notandum porrò pro iis , qui libris destituuntur, pro quibus potissimum scribimus. Quando à viro gravi , cui meritò fidem negare non potes, tibi absque scripto serio affirmatur , sententiam aliquam esse probabilem, rectè & prudenter judicas illam esse talem. Illius enim authoritas respectu tui est omnino gravis, nec habes ratione in dubitandi. quin de iis, quæ ad probabilitatem requiruntur , sit ritè instructus , & informatus. Sic rusticus rectè credit, & acquiescit suo Parocho , aut Confessario , dum sententiam aliquam probabilem esse affirmat.